



Benaci Sinus felix (San Felice del Benaco)

C. Valerii Catulli <i>Carmina</i>	1
M. Tulli Ciceronis epistulae <i>Ad Quintum fratrem</i> , I (a.u.c. 694).....	2
M. Tulli Ciceronis <i>Cato maior</i> seu <i>De senectute</i> dialogus.....	3
Q. Horatii Flacci <i>Carmina</i>	4
P. Ovidii Nasonis <i>Methamorphoseon</i> liber XV.....	5
P. Ovidii Nasonis <i>Ars Amatoria</i>	7
L. Annaei Senecae <i>De ira</i> libri III.....	9
C. Plinii Iunioris <i>Epistulae</i>	12
Q. Fabii Quintiliani <i>Institutiones oratoriae</i>	13
L. Apuleii <i>De Magia</i> liber.....	14
Bonvicini Ripani <i>Vita Scholastica</i>	16
Desiderii Erasmi Roterodami <i>De puerorum civilitate</i> , 6 -12.....	20
Erasmi Roterodami <i>Colloquia familiaria</i>	22
Martini Dobrizhofer <i>Historia de Abiponibus</i>	27
Iohannis Lodovici Vives <i>Exercitatio linguae Latinae</i>	29

C. Valerii Catulli *Carmina*

XII

- 1 Marrucine Asini, manu sinistra
non belle uteris: in ioco atque vino
tollis linthea neglegentiorum.
hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:
- 5 quamvis sordida res et invenustast.
non credis mihi? crede Pollioni
fratri, qui tua furta vel talento
mutari velit: est enim leporum
differtus puer ac facetiarum.
- 10 quare aut hendecasyllabos trecentos
expecta, aut mihi lintheum remitte;
quod me non movet aestimatione,
verum est mnemosynum mei sodalis.
nam sudaria Saetaba ex Hiberis
- 15 miserunt mihi muneri Fabullus
et Veranius: haec amem necessest
ut Veraniolum meum et Fabullum.

XIII

- 1 Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
paucis, si tibi di favent, diebus,
si tecum attuleris bonam atque magnam
cenam, non sine candida puella
- 5 et vino et sale et omnibus cachinnis.
haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
cenabis bene: nam tui Catulli
plenus sacculus est aranearum.
sed contra accipies meros amores
- 10 seu quid suavius elegantius vest:
nam unguentum dabo, quod meae puellae
donarunt Veneres Cupidinesque,
quod tu cum olfacies, deos rogabis,
totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

M. Tulli Ciceronis epistulae *Ad Quintum fratrem*, I (a.u.c. 694)

22. Quod si haec lenitas grata Romae est, ubi tanta arrogantia est, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta vis concionis, tanta senatus auctoritas, quam iucunda tandem praetoris comitas in Asia potest esse! in qua tanta multitudo civium, tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur, ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio: quare permagni hominis est et cum ipsa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium studiis eruditi sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis, quibus is praesit, desideretur.

VIII. 23. Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus est, sed ad effigiem iusti imperii; cuius summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat; nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii, eaque si sic coluit ille, qui privatus futurus numquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent, et ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est? 24. Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui praesunt aliis, ut ii, qui erunt in eorum imperio, sint quam beatissimi: quod tibi et esse antiquissimum et ab initio fuisse, ut primum Asiam attigisti, constanti fama atque omnium sermone celebratum est. Est autem non modo eius, qui sociis et civibus, sed etiam eius, qui servis, qui mutis pecudibus praesit, eorum, quibus praesit, commodis utilitatique servire; 25. cuius quidem generis constare inter omnes video abs te summam adhiberi diligentiam: nullam aes alienum novum contrahi civitatibus, vetere autem magno et gravi multas abs te esse liberatas; urbes complures dirutas ac paene desertas, in quibus unam Ioniae nobilissimam, alteram Cariae, Samum et Halicarnassum, per te esse recreatas; nullas esse in oppidis seditiones, nullas discordias; provideri abs te, ut civitates optimatum consiliis administrentur; sublata Mysiae latrocinia, caedes multis locis repressas, pacem tota provincia constitutam, neque solum illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura et maiora oppidorum et fanorum latrocinia esse depulsa; remotam a fama et a fortunis et ab otio locupletium illam acerbissimam ministram praetorum avaritiae, calumniam; sumptus et tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fines incolant, tolerari aequaliter; facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam tuo; toto denique in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis.

M. Tulli Ciceronis *Cato maior* seu *De senectute* dialogus

63. Lysandrum Lacedaemonium, cuius modo feci mentionem, dicere aiunt solitum Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, magno consessu locum nusquam ei datum a suis civibus; cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui legati cum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes illi dicuntur et senem sessum recepisse. 64. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex eis quendam Atheniensis scire, quae recta essent, sed facere nolle.

Q. Horatii Flacci *C a r m i n a*

I, x x

- 1 **V**ile potabis modicis Sabinum
cantharis, Graeca quod ego ipse testa
conditum levi, datus in theatro
 cum tibi plausus,
- 5 care Maecenas eques, ut paterni
fluminis ripae simul et iocosa
redderet laudes tibi Vaticani
 montis imago.
- 10 Caecubum et prelo domitam Caleno
tu bibes uvam: mea nec Falernae
temperant vites neque Formiani
 pocula colles.

P. Ovidii Nasonis *Methamorphoseon* liber XV

Philemon et Baucis

- 626 Iuppiter huc specie mortali cumque parente
venit Atlantiades positis caducifer alis.
mille domos adiere locum requiemque petentes,
mille domos clausere serae; tamen una recepit,
- 630 parva quidem, stipulis et canna tecta palustri,
sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon
illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa
consenuere casa paupertatemque fatendo
effecere levem nec iniqua mente ferendo;
- 635 nec refert, dominos illic famulosne requiras:
tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.
ergo ubi caelicolae parvos tetigere penates
summissoque humiles intrarunt vertice postes,
membra senex posito iussit relevare sedili;
- 640 cui superiniecit textum rude sedula Baucis
inque foco tepidum cinerem dimovit et ignes
suscitat hesternos foliisque et cortice sicco
nutrit et ad flammam anima producit anili
multifidasque faces ramaliaque arida tecto
- 645 detulit et minuit parvoque admovit aeno,
quodque suus coniunx riguo conlegerat horto,
truncat holus foliis; furca levat illa bicorni
sordida terga suis nigro pendentia tigno,
servatoque diu resecat de tergore partem
- 650 exiguum sectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt sermonibus horas
sentirique moram prohibent. erat alveus illic
fagineus, curva clavo suspensus ab ansa:
is tepidis inpletur aquis artusque fovendos
- 655 accipit. in medio torus est de mollibus ulvis
inpositus lecto sponda pedibusque salignis.
vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant: sed et haec vilisque vetusque
vestis erat, lecto non indignanda saligno.
- 660 accubuere dei. mensam succincta tremensque
ponit anus, mensae sed erat pes tertius inpar:
testa parem fecit; quae postquam subdita clivum
sustulit, aequatam mentae tersere virentes.
ponitur hic bicolor sincerae baca Minervae

- 665 conditaque in liquida corna autumnalia faece
 intibaque et radix et lactis massa coacti
 ovaque non acri leviter versata favilla,
 omnia fictilibus. post haec caelatus eodem
 sistitur argento crater fabricataque fago
 670 pocula, qua cava sunt, flaventibus inlita ceris;
 parva mora est, epulasque foci misere calentes,
 nec longae rursus referuntur vina senectae
 dantque locum mensis paulum seducta secundis:
 hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis
 675 prunaque et in patulis redolentia mala canistris
 et de purpureis conlectae vitibus uvae,
 candidus in medio favus est; super omnia vultus
 accessere boni nec iners pauperque voluntas.
 Interea totiens haustum cratera repleri
 680 sponte sua per seque vident succrescere vina:
 attoniti novitate pavent manibusque supinis
 concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon
 et veniam dapibus nullisque paratibus orant.
 unicus anser erat, minimae custodia villae:
 685 quem dis hospitibus domini mactare parabant;
 ille celer penna tardos aetate fatigat
 eluditque diu tandemque est visus ad ipsos
 confugisse deos: superi vetuere necari
 "di" que "sumus, meritasque luet vicinia poenas
 690 in pia" dixerunt; "vobis immunibus huius
 esse mali dabitur. modo vestra relinquit tecta
 ac nostros comitate gradus et in ardua montis
 ite simul!" parent et dis praeaeuntibus ambo
 693a membra levant baculis tardique senilibus annis
 nituntur longo vestigia ponere clivo.
 695 tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
 missa potest: flexere oculos et inhospita tecta
 696a mersa vident quaeruntque ubi sint pia culmina villae:
 sola loco stabat, quae dis fuit hospita magnis.
 dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
 illa vetus, dominis etiam casa parva duobus
 700 vertitur in templum (furcas subiere columnae,
 stramina flavescent), aurataque tecta videntur,
 caelataeque fores, adopertaque marmore tellus.
 talia tum placido Saturnius edidit ore:
 "dicite, iuste senex et femina coniuge iusto
 705 digna, quid optetis!" cum Baucide pauca locutus
 iudicium superis aperit commune Philemon:

"esse sacerdotes delubraque vestra tueri
 poscimus, et quoniam concordēs egimus annos,
 auferat hora duos eadem, nec coniugis umquam
 710 busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa."
 vota fides sequitur: templi tutela fuere,
 donec vita data est; annis aevoque soluti
 ante gradus sacros cum starent forte locique
 narrarent casus, frondere Philemona Baucis,
 715 Baucida conspexit senior frondere Philemon.
 iamque super geminos crescente cacumine vultus
 mutua, dum licuit, reddebant dicta "vale" que
 "o coniunx" dixere simul, simul abdita textit
 ora frutex: ostendit adhuc Thyneius illic
 720 incola de gemino vicinos corpore truncos.
 haec mihi non vani (neque erat, cur fallere vellent)
 narravere senes; equidem pendentia vidi
 serta super ramos ponensque recentia dixi
 "cura deum di sint, et qui coluere, colantur."

P. Ovidii Nasonis *Ars Amatoria*

I

505 sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
 nec tua mordaci pumice crura teras.
 ista iube faciant, quorum Cybeleia mater
 concinitur Phrygiis exululata modis.
 forma viros neglecta decet; Minoida Theseus
 510 abstulit, a nulla tempora comptus acu.
 Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit;
 cura deae silvis aptus Adonis erat.
 munditie placeant, fuscentur corpora Campo:
 sit bene conveniens et sine labe toga:
 515 linguaque ne rigeat, careant rubigine dentes,
 nec vagus in laxa pes tibi pelle natet:
 nec male deformet rigidos tonsura capillos:
 sit coma, sit trita barba resecta manu.
 et nihil emineant, et sint sine sordibus ungues:
 520 inque cava nullus stet tibi nare pilus.
 nec male odorati sit tristis anhelitus oris:

nec laedat naris virque paterque gregis.
cetera lascivae faciant, concede, puellae,
et si quis male vir quaerit habere virum.

L. Annaei Senecae *De ira* libri III

II, 21

Plurimum, inquam, proderit pueros statim salubriter institui; difficile autem regimen est, quia dare debemus operam ne aut iram in illis nutriamus aut indolem retundamus. Diligenti observatione res indiget; utrumque enim, et quod extollendum et quod deprimendum est, similibus alitur, facile autem etiam adtendentem similia decipiunt. Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur; adsurgit si laudatur et in spem sui bonam adducitur, sed eadem ista insolentiam et iracundiam generant: itaque sic inter utrumque regendus est ut modo frenis utamur modo stimulis. Nihil humile, nihil servile patiatur; numquam illi necesse sit rogare suppliciter nec prosit rogasse, potius causae suae et prioribus factis et bonis in futurum promissis donetur. In certaminibus aequalium nec vinci illum patiamur nec irasci; demus operam ut familiaris sit iis cum quibus contendere solet, ut in certamine adsuescat non nocere velle sed vincere. Quotiens superaverit et dignum aliquid laude fecerit, attolli, non gestire patiamur; gaudium enim exultatio, exultationem tumor et nimia aestimatio sui sequitur. Dabimus aliquod laxamentum, in desidiam vero otiumque non resolvemus et procul a contactu deliciarum retinebimus; nihil enim magis facit iracundos quam educatio mollis et blanda. Ideo unicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus iicet, corruptior sollicita semper mater abstersit, cui de paedagogo satisfactum est.

II, 35, 3 - 36, 3

3. Nihil tamen aequè profuerit quam primum intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est ullius adfectus facies turbatio: pulcherrima ora foedavit, toruos uultus ex tranquillissimis reddit; linquit decor omnis iratos, et siue amictus illis compositus est ad legem, trahent uestem omnemque curam sui effundent, siue capillorum natura uel arte iacentium non informis habitus, cum animo inhorrescunt; tumescunt uenae; concutietur crebro spiritu pectus, rabida uocis eruptio colla distendet; tum artus trepidi, inquietae manus, totius corporis fluctuatio. 4. Qualem intus putas esse animum cuius extra imago tam foeda est? Quanto illi intra pectus terribilior uultus est, acrior spiritus, intentior impetus, rupturus se nisi eruperit! 5. Quales sunt hostium uel ferarum caede madentium aut ad caedem euntium aspectus, qualia poetae inferna monstra finxerunt succincta serpentibus et igneo flatu, quales ad bella excitanda discordiamque in populos diuidendam pacemque lacerandam deae taeterrimae inferum exeunt, talem nobis iram figuremus, flamma lumina ardentia, sibilo mugituque et gemitu et stridore et si qua his inuisior uox est perstreptentem, tela manu utraque quatientem (neque enim illi se tegere curae est), toruam cruentamque et cicatricosam et uerberibus suis liuidam, incessus uesani, offusam multa caligine,

incursitantem uastantem fugantemque et omnium odio laborantem, sui maxime, si aliter nocere non possit, terras maria caelum ruere cupientem, infestam pariter inuisamque. 6. Vel, si uidetur, sit qualis apud uates nostros est

sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum

aut

scissa gaudens uadit Discordia palla

aut si qua magis dira facies excogitari diri adfectus potest.

1. Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit aspexisse speculum. Perturbauit illos tanta mutatio sui; uelut in rem praesentem adducti non agnouerunt se: et quantum ex uera deformitate imago illa speculo reperiens reddebat! 2. Animus si ostendi et si in ulla materia perlucere posset, intuentis confunderet ater maculosusque et aestuans et distortus et tumidus. Nunc quoque tanta deformitas eius est per ossa carnesque et tot impedimenta effluentis: quid si nudus ostenderetur? 3. Speculo quidem neminem deterritum ab ira credideris. Quid ergo? qui ad speculum uenerat ut se mutaret, iam mutauerat: iratis quidem nulla est formosior effigies quam atrox et horrida qualesque esse etiam uideri uolunt.

III, 4

1. Vt de ceteris dubium sit, nulli certe adfectui peior est uultus, quem in prioribus libris descripsimus: asperum et acrem et nunc subducto retrorsus sanguine fugatoque pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu uerso subrubicundum et similem cruento, uenis tumentibus, oculis nunc trepidis et exilientibus, nunc in uno obtutu defixis et haerentibus; 2. adice dentium inter se arietatorum ut aliquem esse cupientium non alium sonum quam est apris tela sua adtritu acuentibus; adice articulorum crepitum cum se ipsae manus frangunt et pulsatum saepius pectus, anhelitus crebros tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta uerba subitis exclamationibus, trementia labra interdumque compressa et dirum quiddam exsibilantia. 3. Ferarum mehercules, siue illas fames agitat siue infixum uisceribus ferrum, minus taetra facies est, etiam cum uenatorem suum semianimes morsu ultimo petunt, quam hominis ira flagrantis. Age, si exaudire uoces ac minas uacet, qualia excarnificati animi uerba sunt!

III, 8

1. Demus operam ne accipiamus iniuriam, quia ferre nescimus. Cum placidissimo et facillimo et minime anxio morosoque uiuendum est; sumuntur a conuersantibus mores et ut quaedam in contactos corporis uitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit: ebriosus conuictores in amorem meri traxit, inpudicorum coetus fortem quoque et silice natum uirum emolliit, auaritia in proximos uirus suum

transtulit. 2. Eadem ex diuerso ratio uirtutum est, ut omne quod secum habent mitigent; nec tam ualetudini profuit utilis regio et salubrius caelum quam animis parum firmis in turba meliore uersari. 3. Quae res quantum possit intelleges, si uideris feras quoque conuictu nostro mansuescere nullique etiam immani bestiae uim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est: retunditur omnis asperitas paulatimque inter placida dediscitur. Accedit huc quod non tantum exemplo melior fit qui cum quietis hominibus uiuit, sed quod causas irascendi non inuenit nec uitium suum exercet. Fugere itaque debet omnis quos inritaturos iracundiam sciet. 'Qui sunt' inquis 'isti?' 4. Multi ex uariis causis idem facturi: offendet te superbus contemptu, dicax contumelia, petulans iniuria, liuidus malignitate, pugnax contentione, uentosus et mendax uanitate; non feres a suspicioso timeri, a pertinace uinci, a delicato fastidiri. 5. Elige simplices faciles moderatos, qui iram tuam nec euocent et ferant; magis adhuc proderunt summissi et humani et dulces, non tamen usque in adulationem, nam iracundos nimia adsentatio offendit: erat certe amicus noster uir bonus sed irae paratoris, cui non magis tutum erat blandiri quam male dicere. 6. Caelium oratorem fuisse iracundissimum constat. Cum quo, ut aiunt, cenabat in cubiculo lectae patientiae cliens, sed difficile erat illi in copulam coniecto rixam eius cui cohaerebat effugere; optimum iudicauit quidquid dixisset sequi et secundas agere. Non tulit Caelius adsentientem et exclamauit, 'dic aliquid contra, ut duo simus!' Sed ille quoque, quod non irasceret iratus, cito sine aduersario desit. 7. Eligamus ergo uel hos potius, si conscii nobis iracundiae sumus, qui uultum nostrum ac sermonem sequantur: facient quidem nos delicatos et in malam consuetudinem inducent nihil contra uoluntatem audiendi, sed proderit uitio suo interuallum et quietem dare. Difficiles quoque et indomiti natura blandientem ferent: nihil asperum tetricumque palpanti est. 8. Quotiens disputatio longior et pugnacior erit, in prima resistamus, antequam robur accipiat: alit se ipsa contentio et demissos altius tenet; facilius est se a certamine abstinere quam abducere.

C. Plinii Iunioris Epistulae

VI, 17

C. PLINIVS RESTITVTO SVO S.

1 Indignatiunculam, quam in cuiusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare quo minus apud te, quia non contigit coram, per epistulam effundam. Recitabatur liber absolutissimus. 2 Hunc duo aut tres, ut sibi et paucis videntur, disertis surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique assurrexerunt saltem lassitudine sedendi. 3 Quae tanta gravitas? quae tanta sapientia? quae immo pigritia arrogantia sinisteritas ac potius amentia, in hoc totum diem impendere ut offendas, ut inimicum relinquo ad quem tamquam amicissimum veneris? Disertior ipse es? 4 Tanto magis ne invideris; nam qui invidet minor est. Denique sive plus sive minus sive idem praestas, lauda vel inferiorem vel superiorem vel parem: superiorem quia nisi laudandus ille non potes ipse laudari, inferiorem aut parem quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri, quem praecedis vel exaequas. 5 Equidem omnes qui aliquid in studiis faciunt venerari etiam mirarique soleo; est enim res difficilis ardua fastidiosa, et quae cos a quibus contemnitur invicem contemnat. Nisi forte aliud iudicas tu. Quamquam quis uno te reverentior huius operis, quis benignior aestimator? 6 Qua ratione ductus tibi potissimum indignationem meam prodidi, quem habere socium maxime poteram. Vale.

Q. Fabii Quintiliani *Institutiones oratoriae***Liber I,2**

[6] Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnis mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet qui in purpuris repit? Nondum prima uerba exprimit, iam coccum intellegit, iam conchylium poscit. [7] Ante palatum eorum quam os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerunt, e manibus utrimque sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint: uerba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu et osculo excipimus. [8] Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt; nostras amicas, nostros concubinos uident; omne conuiuium obscenis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, inde natura. Discunt haec miseri antequam sciant uitia esse: inde soluti ac fluentes non accipiunt ex scholis mala ista, sed in scholas adferunt.

L. Apuleii *De Magia* liber

[6] (1) Primo igitur legerunt e ludicris meis epistolium de dentifricio uersibus scriptum ad quendam Calpurnianum, qui cum aduersum me eas litteras promeret, non uidit profecto cupiditate laedendi, si quid mihi ex illis fieret crimosum, id mihi secum esse commune. (2) Nam petisse eum a me aliquid tersui dentibus uersus testantur:

(3) Calpurniane, salue properis uersibus.

Misi, ut petisti, <tibi> munditias dentium,

nitelas oris ex Arabicis frugibus,

tenuem, candificum, nobilem puluisculum,

complanatorem tumidulae gingiuulae,

conuerritorem pridianae reliquiae,

ne qua uisatur tetra labes sordium,

restrictis forte si labellis riseris.

(4) Quaeso, quid habent isti uersus re aut uerbo pudendum, quid omnino quod philosophus suum nolit uideri? (5) Nisi forte in eo reprehendendus sum, quod Calpurniano puluisculum ex Arabicis frugibus miserim, quem multo aequius erat spurcissimo ritu Hiberorum, ut ait Catullus, sua sibi urina

'dentem atque russam pumicare gingiuam.'

[7] (1) Vidi ego dudum uix risum quosdam tenentis, cum munditias oris uidelicet orator ille aspere accusaret et dentifricium tanta indignatione pronuntiaret, quanta nemo quisquam uenenum.

(2) Quidni? Crimen haud contemnendum philosopho, nihil in se sordidum sinere, nihil uspiam corporis apertum immundum pati ac fetulentum, (3) praesertim os, cuius in propatulo et conspicuo usus homini creberrimus, siue ille cuipiam osculum ferat seu cum qui[c]quam sermocinetur siue in auditorio dissertet siue in templo preces alleget. (4) Omnem quippe hominis actum sermo praeit, qui, ut ait poeta praecipuus, dentium muro proficiscitur. (5) Dares nunc aliquem similiter grandiloquum: diceret suo more cum primis cui ulla fandi cura sit impensius cetero corpore os colendum, quod esset animi uestibulum et orationis ianua et cogitationum comitium. (6) Ego certe pro meo captu dixerim nihil minus quam oris illuuiem libero et liberali uiro

competere. (7) Est enim ea pars hominis loco celsa, uisu prompta, usu facunda. Nam quidem feris et pecudibus os humile *est* et deorsum ad pedes deiectum, uestigio et pabulo proximum; nunquam ferme nisi mortuis aut ad morsum exasperatis conspicitur. Hominis uero nihil prius tacentis, nihil saepius loquentis contemplare.

[8] (1) Velim igitur censor meus Aemilianus respondeat, unquamne ipse soleat pedes lauare; uel, si id non negat, contendat maiorem curam munditiarum pedibus quam dentibus inertiendam. (2) Plane quidem, si quis ita ut tu, Aemiliane, nunquam ferme os suum nisi maledictis et calumniis aperiat, censeo ne ulla cura os percolat neque ille exotico puluere dentis emaculet, quos iustius carbone de rogo obteruerit, neque saltem communi aqua perluat. (3) Quin ei nocens lingua mendaciorum et amaritudinum praeministra semper in fetutinis et olenticetis suis iaceat. (4) Nam quae, malum, ratio est linguam mundam et laetam, uocem contra spurcam et tetram possidere, uiperæ ritu niueo denticulo atrum uenenum inspirare? (5) Ceterum qui sese sciat <o>rationem prompturum neque inutilem neque iniucundam, eius merito os, ut bono potui poculum, praelauitur.

(6) Et quid ego de homine nato diutius? Belua immanis, crocodillus ille qui in Nilo gignitur, ea quoque, ut comperior, purgandos sibi dentis innoxio hiatu praebet. (7) Nam quod est ore amplo, set elingui et plerumque in aqua recluso, multae hiru[n]dines dentibus implectuntur. Eas illi, cum egressus in praeripia fluminis hiauit, una ex auibus fluuiatilibus amica auis iniecto rostro sine noxae periculo exculpit.

Bonvicini Ripani *Vita Scholastica*

- Eloquio sapiens discreto dirige linguam.
 50 lingua, licet mollis, frangere dura potest.
 lingua tibi non sit detractrix, subdola, vana,
 grandis, adulatrix, falsa, superba, loquax.
 non ea blasphemet, maledicat et arroget umquam.
 promere clamosos respuat illa sonos.
 55 non discors, audax, non germinet aspera lites,
 non sit mortifera causa maligna rei.
 turpia non promat, non derisoria verba,
 non periuratrix, non positiva mali.
 non cito tristitie nova sit narrare parata,
 60 non testis falsi nomen in ore sonet.
 non det sermones, ubi non prodesse videbit,
 nam coram porcis nil preciosa valent.
 sit potius verax, humilis, discreta, modesta,
 sit fructum pariens, dulcis, honesta, pia.
 65 in multis pociens, benedicens, tota faceta,
 sit consolatrix et nova leta ferens.
 inter discordes properate mitiget iram
 ac inter socios sit positiva boni.
 sepe bonum laudet, sapienter crimina culpet,
 70 tempore sit sterilis, tempore feta suo.
 sepe sacerdoti proprio tua crimina pandat,
 sepe tuo Domini nomen in ore sonet.
 plus tua quam genti domino fac verba placere,
 quo sine, perfecte nemo placere potest.
 75 que tibi secreta dicuntur, clausa teneto,
 alter ni forsitan curius esse velis.
 non indiscrete sociorum crimina pandas,
 multociens odium verba iocosa movent.
 quicquid dicatur, resonet responsio dulcis,
 80 tempore sermo quoque prestat amarus opem.
 multiplicat caros vox dulcis, mitigat hostes,
 lingue dulcedo dira venena fugat.
 381 Officium sanctum si vis audire moratus,
 talem carpe locum, ne moveare rubens.
 vocibus intentus divinis esto quietus
 et tacitus. certo tempore surge, sede.
 385 dumque fit officium, desistas sepe vagari
 aut oculos circumvolvere quaque vagos.

- cum spuis aut aliquid fedi de corpore pellis,
conculces caute, ni locus aptus erit.
tunc evangelii legitur cum leccio sancti,
390 pande caput, solitas fac tibi fronte cruces.
- 491 Ecce secunda monet clavis decorare magistrum,
quinque modis fieri quod mea metra monent.
primo pacifica vita, sapiente, faceta.
effectus causam dat bonus esse bonam.
- 495 signant discipuli morum bene tramite recti,
quod doctor proprius morigeratus erit.
addita stulticie viciisque sciencia multa
huius et istorum non nisi crimen erit.
absint clamores, verridia, bella, tumultus,
500 si ludis, ludo ponere disce modum.
te laudet stacio, dormicio, sessio, sermo,
non tibi sit nimium risus in ore frequens.
sis ubicunque velis, regimen paciari honestum,
tam veniendo scolas, quam redeundo domum.
- 505 non tibi sit cursus, verridia nulla plateis,
non lapidis iactus non baculique sonus.
nulla canum fiat furiosa citacio, clamor.
sit gressus, gestus, lingua modesta tibi.
si socii faciant nimis intoleranda nocentes,
510 doctore, tibi non, ulcio digna licet.
instrumenta scolis solacia, sibila, cantus,
taliam nulla move, si quis, abesto, movet.
dumque moraris ibi, facienda comestio non sit,
non miranda ferens, non novitate studens.
- 515 sis totus coram proprio doctore facetus,
sis inter socios, sis, ubicunque potes.
non coram proprio virgam doctore tenebis,
non baculum, nisi sit congrua causa, manu.
non te presumas in eadem sede sedere,
520 annuat aut iubeat ni prius ille tibi.
si manibus flores habeas fructusve decentes,
offer ei, capiet, pignus amoris erit.
tam perscrutari quam respondere sedendo
vites doctore, rusticitate carens.
- 525 cum doctore loquens caveas os ferre propinquum
ori, ne qua lues eius in ore fluat.
promptus ad obsequium surgas, reverenter honores,
cum coram transit ac ubicunque vides.

- ire, redire, sequi te significato paratum,
 530 reddere proficuum, reddere grande decus.
 grandius obsequium quo fessior egeris illi,
 tanto plus gaude, plus tibi laudis erit.
 semper eum laudes, si quis culpaverit illum,
 defendas presens, esto fidelis ei.
 535 semper eum dominum simulatque vocato magistrum,
 totus honor tuus est, cum decorabis eum.
 nitere propter eum reliquos decorare magistros,
 laudem pro modico lingua faceta meret.
 si comitaris eum, fac ne sis previus aut par,
 540 i post non longe, ne quasi solus eat.
 si magnus dispar fueris quandoque magistro,
 ferme, non penitus te decet ire parem.
 at dum discipulus doctoris dogmate degis,
 si quoque rex esses, usque preire cave.
 545 si post te videas venientem, comminus here,
 cede, salutatus transeat ille locum.
 si quid eum stantem vel euntem poscere flagras,
 nunquam post dorsum, verba sed ante feras.
 cuius velle sciens sine iussu perface promptus,
 550 non "heus" aut "domine" redde vocatus ei.
 si cum quo loquitur, caveas accedere sponte
 verba nec auscultes, que referuntur ibi.
 illo si coram liceat tibi forte sedere,
 sic sedeas, ne sis in cruce crura tenens.
 555 eum versum versus caveas ostendere tergum.
 surgere letanti fronte paratus eris.
 sermones aliis si permiscere videbis,
 fac, comitatus eum, ne videare loquax.
 ille velut dignus sexus utrosque salutet
 560 et resalutet eos, sit tua lingua brevis.
 eius de manibus si quid cecidisse videbis,
 surripi continuo, porrige promptus ei.
 virgam, cultellum, vel quid si porrigis illi,
 partem porrigito, que magis apta capi.
 565 in thalamo clausum si forte poposceris illum,
 ostia non subito te reserare decet.
 primo significes pulsu vel voce citando;
 rusticus ac audax, ni facis istud, eris.
 non per scissuras spectes, quid fecerit ille,
 570 et non auscultes ceu latro verba latens.
 quandocunque tuum doctorem surgere cernis,

ut decoret quenquam, tu quoque surge simul.
si verris aut si qua moves aut excutis ipse,
fac pulvis coram ne moveatur eo.

575 si quid dedeceat doctorem forte videbis,
hinc illum caute sollicitare decet.

Desiderii Erasmi Roterodami *De puerorum civilitate*, 6 -12

Malas tingat natus et ingenuus pudor, non fucus aut adscitus color. Quamquam is quoque pudor sic temperandus est, ut nec vertatur in improbitatem nec adducat dysopían stuporem, et quantum, ut habet proverbium, insaníæ gradum. Quibusdam enim hic affectus tam impotens insitus est, ut reddat deliranti simillimum. Temperatur hoc malum, si puer inter maiores assuescat, et comœdiis agendis exerceatur. Inflare buccas fastus indicium est; easdem demittere, est animum despondentis; alterum est Thrasonis, alterum Iudæ proditoris.

Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire, nec hiet, quod est morionum, sed leniter osculantibus se mutuo labris coniunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labiis veluti poppysmum facere; quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est: illos enim decent omnia: nos puerum formamus.

Si fors urgeat oscitatio nec detur averti aut cedere, strophio volave tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnibus dictis aut factis arridere, stultorum est; nullis arridere, stupidorum. Obscene dictis aut factis arridere nequitia est.

Cachinnus et immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Græci synkróusion appellant, nulli decorus est ætati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quod quidam ridentes hinnitum edunt. Indecorus et ille qui oris rictum late diducit, corrugatis buc-cis, ac nudatis dentibus, qui caninus est et sardonius dicitur. Sic autem vultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ voces sunt «Risus diffluo, risu dissilio, risu emorior»; et si qua res adeo ridicula inciderit, ut nolentibus eiusmodi risum exprimat, mappa manuve tegenda facies. Solum aut nullam evidentem ob causam ridere, vel stultitiæ tribuitur vel insaníæ. Si quid tamen eiusmodi fuerit obortum, civilitatis erit aliis aperire risus causam, aut si non putes proferendam, commentitium aliquid adferre, ne quis se derideri suspicetur. Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanum est; hic enim est minantis gestus; quemadmodum et inferioribus mordere superius. Quin et labrorum oras lingua circumvoluta subinde lambere, ineptum. Porrectioribus esse labris et velut ad osculum compositis olim apud Germanos fuisse blandum indicant illorum picturæ. Porrecta lingua deridere quemquam, scurrile est. Aversus expuito, ne quem conspuas aspergasve. Si quid purulentius in terram reiectum erit, pede, ut dixi, proteratur, ne cui nauseam moveat. Id si non licet, linteolo sputum excipito. Resorbere salivam inurbanum est, quemadmodum et illud quod quosdam videmus non ex necessitate, sed ex usu, ad tertium quodque verbum expuere. Quidam indecore subtu ssiunt identidem inter loquendum, idque non ex necessitate, sed ex more: is gestus est mentientium, et inter

dicendum quid dicant comminiscuntur. Alii minus etiam decore ad tertium quodque verbum eructant; quæ res si a teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiores ætates. Idem sentiendum de screatu, quibus nominibus a servo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis urgeat, cave ne cui in os tussias; et absit ineptia clarius tussendi quam natura postulet.

Vomiturus secede: nam vomere turpe non est; sed ingluvie vomitum accersisse deforme est.

Dentium mundities curanda est; verum eos pulvisculo candidare puellarum est; sale aut alumine defricare, gingivæ perniciosum; idem lotio facere, Iberorum est. Si quid inhæsit dentibus, non cultello, non unguibus, canum feliumve more, non mantili eximendum est, sed vel lentisci cuspidem, vel penna vel ossiculis e gallorum aut gallinarum tibiis detractis.

Os mane pura aqua proluere, et urbanum est et salubre; subinde id facere, ineptum.

De linguæ usu suo dicemus loco.

Rusticanum est, impexo esse capite. Adsit mundities, non nitor puellaris.

Absint sordes lendium et vermiculorum. Subinde scabere caput apud alios parum decet, quemadmodum unguibus reliquum fricare corpus sordidum est, præsertim si fiat usu, non necessitate.

Coma nec frontem tegat nec humeris involitet. Subinde concusso capite discutere capillitium, lascivientium est equorum. Cæsariem a fronte in verticem læva retorquere, parum elegans est; manu discriminare, modestius. Inflectere cervicem et adducere scapulas pigritiam arguit; resupinare corpus, fastus indicium est: molliter erectum decet.

Cervix nec in lævum nec in dextrum vergat: hypocriticum enim; nisi colloquium aut aliud simile postulet. Humeros oportet æquo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere, alterum deprimere. Nam huiusmodi gestus, in pueris neglecti, vertuntur in naturam, et corporis habitum præter naturam deformant. Itaque qui præ desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem natura non dederat; et qui deflexum in latum caput habere consueverunt, in eum habitum indurescunt, ut adulti frustra mutare nitantur, siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quæ in quamcunque speciem furca funiculove deflexeris, ita crescunt et indurescunt.

Vtrumque brachium in dorsum retorquere simul et pigritiæ speciem habet et furis; neque multo decentius est; altera manu in ilia iniecta stare sedereve; quod tamen quibusdam elegans ac militare videtur. At non statim honestum est quod stultis placuit, sed quod naturæ et rationi consentaneum est. Reliqua dicentur, quum ad colloquium et convivium ventum erit.

Membra quibus natura pudorem addidit, retegere citra necessitatem, procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamen id quoque decente

verecundia faciendum est, etiamsi nemo testis adsit: nunquam enim non adsunt angeli; quibus in pueris gratissimus est pudicitæ comes custosque pudor.

Quorum autem conspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere contactui. Lotium remorari, valetudini perniciosum: secreto reddere, verecundum. Sunt qui præcipiant ut pueri compressis natibus flatum ventris retineant; atqui civile non est, dum urbanus videri studes, morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat; sin minus, iuxta vetustissimum proverbium, tussi crepitum dissimulet. Alioqui cur non eadem opera præcipiunt ne alvum deiciant, cum remorari flatum periculosius sit quam alvum stringere? Diductis genibus sedere aut divaricatis tibiis distortisve stare, Thrasonum est. Sediti coeant genua, stanti pedes, aut certe modice diducantur. Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant; nonnulli stant decussatim compositis tibiis; quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in lævum femur iniecto sedere, priscorum regum mos est, sed improbatum. Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt, unique propemodum insistunt tibiæ, ciconiarum ritu, quod an pueros deceat, nescio. Itidem in flectendis genibus aliud apud alios decet dedecetve: quidam utrumque pariter inflectunt, idque rursus alii recto corpore, alii nonnihil incurvato. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, similiter erecto corpore primum dextrum incurvant genu, mox sinistrum; quod apud Britannos in adolescentibus laudi latur. Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus varietas nihil habet cum honesto pugnans, liberum erit vel vernaculis uti moribus vel alienis obsecundare, quando sunt quos magis capiant peregrina. Incessus nec fractus sit nec præceps, quorum alterum est mollium, alterum furiosorum, nec vacillans, quod a Fabio improbatum. Nan ineptam in incessu subclaudicationem. Suiceris militibus relinquamus et iis qui magnum ornamentum ducunt in pileo gestare plumas; tametsi vidimus nonnullos magnates hoc gestu sibi placere. Sidentem pedibus ludere, stultorum est: quemadmodum et manibus gesticulari parum integræ mentis indicium est.

Erasmi Roterodami *Colloquia familiaria*

xv. Convivium profanum: "Ne fallas me", formula

Ch. Age, at cave ne me deluseris. Cave fallas. Cave spem frustra foveam. Cave luseris expectantem. Cave mihi verba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me vana spe laces.

Aug. Nihil opus iureiurando. In ceteris, in aliis time perfidiam, hac in re non fallam. Sed, heus tu, cave quicquam paraveris præter quotidiana: mea causa diem festum

nolo. Scis me convivam minime edacem, bibacem multo minus. Nosti enim me convivam non multi cibi, sed ioci plurimi.

Ch. Curabitur diligenter. Ego te Pythagorica coeva excipiam, aut fortasse frugaliore.

Aug. Imo Diogenica, si me delectare voles.

Ch. Certe Platonica coena te excipiam, in qua multum sit literatarum fabularum, cibi minimum, cuius voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui, qui prolixè fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui coenabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisque philosophicis: alteram postridie, quod nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suaviter ex condimento coenae pridiana.

Aug. Placet, fiat ut mones.

Ch. Tu vide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquo. Huc praeter vagari et risum nihil adferas, et, ut inquit Iuvenalis:

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen[\[1\]](#).

Aug. Quid? literas mecum venire non vis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes.

Ch. Tetricas Musas una cum negotiis domi claudas. Blandas Camoenas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepores, ridicula omnia tecum adducito.

Aug. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter coenabimus. Epicureos agemus. Bonum vultum faciemus, et erimus boni socii; inelegantium elegantiae sunt, qui suam habent linguam sibi peculiarem.

Ch. Quo nunc properas?

Aug. Ad generum meum.

Ch. Quid illuc? Quid eo? Quid illo?

Aug. Audio, nescio quid turbae inter eos natum, ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam.

Ch. Benigne facis, quamquam nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se melius hoc bellum composuerint.

Aug. Fortassis et induciae iam indictae sunt; noctu de pacis legibus agetur. Sed numquid me aliud vis?

Ch. Vocabo te per puerum meum.

Aug. Ubi voles, domi ero. Bene vale.

Ch. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad coenam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, coenam condixit.

Pe. Eo. Salve, poëta. Coena iamdudum parata est; te herus expectat domi; ubi voles accedas.

Aug. Venio. Salve mi Christiane.

Ch. Bene factum, quod venisti. Gaudeo te advenisse. Gratulor mihi, quod venisti. Nondum quinta sonuit, credo.

Pe. Imo iamdudum praeterita est. Haud longe sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies.

Aug. Parvi refert, an post quintam venerim, nec ne, modo ne post coenam. Nam post festum venire, miserum est. At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulae? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas?

Ch. Non vulturem, sed tamen nec cicadam, ut rore vivas. Nihil est luxus. Mundities mihi semper placuit, sordes detestor. Nec Apitius mihi placet, nec Diogenes. Praestat aliquid superesse, quam deesse. Si praeter cicer nihil apponeretur, et fuligo forte illapsa in ollam, condiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaque mihi placet moderata varietas.

Aug. Non tu metuis leges sumptuarias?

Ch. Imo peccavi frequenter in diversum. Nihil nobis opus lege Fannia [\[2\]](#). Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas.

Aug. Haud ita convenerat. Longe aliter pollicitus es.

Ch. Age, inepte, nec ipse conventa servas. Convenerat enim, ne quid praeter nugae inferres. Quin haec missa faciamus. Lavemus ac discumbamus. Heus tu, puer, cape guttum ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam; quid cessas? Lava, Augustine.

Aug. Lava tu prior.

Ch. Bona verba: hoc anno perpetuo illotus coenare mallet.

Aug. Ridiculum: non honoratiori, sed turpiori ante alios lavandum est: lava igitur, ut immundior.

Ch. Tu es urbanus plus satis. Es urbanior, quam sat sit, quam par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Huiusmodi ceremonias ineptas mulierculis relinquamus, quae nunc et ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectae sunt. Lavetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus huiusmodi moris. Ego nulli designabo locum; sumat sibi quisque, quem volet. Qui delectatur igni, hic commodius accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hic sedeat. Agite; satis morarum. Accumbite. Ego domi sum; vel stans coenabo, si lubeat, vel obambulans. Cessatis? At interim coena corrumpitur.

Aug. Vivamus nunc, curemusque cuticulam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curae. Absit omnis livor, exulet obtrectatio. Sit mens laeta, frons hilaris, sermo lepidus.

Ch. Quinam sunt isti Stoici atque Epicurei, Augustine?

Aug. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, severum, ieiunum, qui hominis summum bonum honesto nescio quo metiuntur. Epicurei, bis longe diversi, felicitatem hominis voluptate terminant.

Ch. Tu igitur cuius es tandem? Stoicus, an Epicureus?

Aug. Zenonem laudo, at Epicurum vivo.

Ch. Quod tu ioco dicis, Augustine, id serio facitant hodie non pauci, pallio tantum et barba philosophi.

Aug. Imo isti vel asotos superant luxu.

Ch. Heus, Dromo, ades huc. Tuo munere fungere; consecra coenam.

Aug. *Quicquid appositum est, et quicquid apponetur, felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit universa. Amen.*

Ch. Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere? Quid trepidamus hunc gallum lacerare?

Aug. Ego Herculem praestabo, ac belluam hanc conficiam. Utrum mavis de ala, an de poplitibus?

Ch. Utrum vis; nihil mea refert.

Aug. In hoc genere alis primae partes tribuuntur; in caeteris poplites lautiores putat vulgus.

Ch. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras; ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo; at ea lege, ut dimidium mihi restituas.

Aug. Itane agitur? At istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serva: ego enim sum impudentior, quam cui ministrari quicquam debeat.

Ch. Probe facis.

Aug. Eho, tu lupo cibum ministras? Vulturem invitas?

Ch. At ieiunas, non coenas.

Aug. Imo me uno nihil edacius.

Ch. Imo mendacius nihil. Proinde agito, ac si domi sis tuae.

Aug. Istud iam plane mihi persuasi. Istud iam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est, istud facere.

Ch. Quid tibi hoc vinum placet? Quid hoc villi delectat?

Aug. Mihi quidem perplacet. Me certe vehementer iuvat. Me satis delectat. Me non mediocriter iuvat.

Ch. Utrum mavis? rubrum, an candidum?

xv. Convivium profanum: "Non refert, quo sit colore"

Aug. Equidem utroque iuxta delector. Nihil refert, quo sit colore, modo sapor

placeat. Non laboro, quantum oculis placeat vinum, modo palatum iuvet. Nihil me movet aspectus, si sapor placeat. Parvi refert, quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat, modo palatum iuvare possit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor.

Ch. Credo. Atqui sunt coenaticae philosophiae cum primis periti, qui negant, vinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus: oculis, colore: naribus, odore: palato, sapore: auribus, fama et nomine.

Aug. Ridiculum; quid fama conducit ad potum?

Ch. Tantum, ut multi non stupidi palati vehementer probarint villum Lovanio vernaculum^[3] quum crederent, esse Belnense.

Aug. Fortasse iam larga potatione palatum obsurduerat.

Ch. Fortasse iam larga potatione palatum obsurduerat. ce. Imo nondum attigerant poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritissimi.

Aug. Album nostrates rubro praeferunt, quod rubrum paulo sit acerbius, et alterum exilius quidem, sed illud mitius, et, ut arbitror, salubrius.

Ch. Habemus et subrubrum, et flavum, et purpureum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quem capit vetustas. Habemus et quadrimum: sed iam vapescit ac desipiscit senio. Aetate vigor evanuit.

Aug. Luculli divitias audio.

Ch. Heus puer, ubi cessas? Nos hic plane negligis: non vides, quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingeremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine, quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi, quod sedes tristior? Quid est tibi, quod minime gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis^[4]; Melissa tibi opus est.

Aug. Quam hic mihi fabulam narras?

Ch. Chrysippus adeo fertur intentus fuisse suis argutiis logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset.

Aug. Ille vero indignus erat, qui servaretur. Sed si te offendit taciturnitas, placetque convivium vocalius, est, quo id efficias.

Ch. Memini. Recte admones: liberalius bibendum: largius, copiosius, meracius oportet bibere.

Martini Dobrizhofer *Historia de Abiponibus*

xv - De Abiponum moribus, consuetudinibusque

Non omnia, quae apud Barbaros, barbara. Ex fimo elegans saepe flosculus, ac inter spinas rosa nascitur, ut bona mixta malis plerumque; sic Abiponum nativis vitiis virtutes quaedam consociantur, Christiano nomine prorsus dignae. Ex multis memorabo precipuas ita tamen, ut vitiorum non obliviscar. Tota corporis conformatione quantopere decorum fervent Abipones, aegre crediderit Europaeus. Ex eorum vultu, ac incessu hilaris quaedam, modestia, virilisque gravitas elucet, quam suavi tamen comitate norunt temperare. Nihil solutum, nihil petulans, vel asperum eorum in actionibus deprehendas. Quotidianis in congressibus pacata, tranquilla omnia. Vociferationes inconditae, altercationes, aculeata dicteriorum mordacitas nusquam locum habent. Amant facetias sermonis, sed a quibus omnis abest obscaenitas, acerbitasque. Diurnas, nocturnasque itineris molestias festivis confabulationibus condire solent, quin tamen, quod spurcitiam oleret, unquam salibus aspergatur. Si quae interdum controversia incidat, serena fronte, sedata oratione sententiam quisque profert suam. Numquam, quod quibusdam Europae populis solenne, iu clamores, minas, contumeliasque erumpunt. Hae[144] quidem laudes ad Abipones sobrios pertinent. Temulenti enim, excusso scilicet rationis freno, amentes, sibique ipsis dissimillimi evadunt. Caeterum suis in conventiculis urbanitatem colunt maxime. Alter alterum loquentem vix audet interpellare. Uni per semihoram aliquando belli eventum quempiam enarranti caeteri omnes non aures dare modo attentas, sed & ad singulas prope sententias annuere solent, ducto ex intimis praecordiis rhoncho, qui affirmationis signum, & assensus, quem identidem his interjectis vocibus significant.[...] Quin (scribere id me pudet) etiam remoto in campo alvi exonerandae gratia dum subsidunt Abipones, eminus transeuntes solenni interrogatione: *Miekaue?* quorsum? elatissima voce salutant. Mirabar saepe, illos non erubescere, cum caeteris in rebus singularem eorum verecundiam suspexerim. Toto certe, quod istis barbaris impendi, septennio observatum a me nihil, quo pudicae aures, casti oculi offendi possent. Quae quidem laus utrique sexui, omni aetati jure debetur. Mares polygamiam, uxorumque repudiationem majorum suorum, caeterarumque Americae gentium exemplo licere sibi, arbitrantur. Perpauci tamen Abipones hanc sibi licentiam indulgent. Uxorum repudiatio, quam multiplicatio apud illos frequentior. Quin in una per omnem aetatem conjugae acquiescunt permulti. Cum alienis, quas in conjugium non adsciverint, commercii quid habere, nefarium sibi, probrosissimumque putant. Hinc adulterium inter illos prorsus inauditum. Libidinum, quae Europaeis gentibus familiares, monstra huic nationi peregrina sunt, quin & ipsa earum nomina. Hilaritatem nativam vel vultu produnt

pueri, puellaeque. Nusquam tamen has illis immixtas videris, vel confabulantes. [...] Balneorum in propinquo flumine usus perjucundus omnibus, & ni coeli procellosi aura rigidior terreat, quotidianus est. Ast cave, existimes: ut per aequor sirenes, delphinique iisdem saepe spectantur in fluctibus, sic masculos, foemellasque in eadem lacus, aut fluvii statione natare, lavarique. Abiponum e disciplina sexu discretos locus quoque discriminat, ac sejungit. Ubi foeminae aquis immergunt sese, illic masculini generis ne umbram quidem deprehendas[...]. Major haec, quam credi in Europa possit, barbarorum lenitas sed nobis exploratissima. Si quando vel Hispanos, Indos, Ethiopas, vel ex his mixtos a se bellos captos non ut servos vexant, sed, prope dicerem, filiorum instar comiter, indulgenterque habent. Si quid a captivo sibi praestandum velit, non imperantis, sed supplicantis voce id significat. herus. *Si tibi lubuerit*, blande praefatur; vel *Misereare mei*, [149] *equumque mihi meum adducito* *Amamat groöhöchem*, vel *Grcuagiikàm*, *Yañerla ahöpegak tak nabörecbi ena*. Quantumvis tergiversantem, oscitantemve in heri obsequio captivum nec verbo, minus verbere plecti usquam vidi. Tenerrima est multorum, ac incredibilis suos in captivos pietas, beneficentia, fiducia, Hos ut vestiant, se nudant. Cibus sibi subtractum esurientes licet esurientibus his porrigunt. Alaykin Caziqiii principis uxor vetula Captivo suo aethiopi, me inspectante, equum apparavit, instravitque frequenter. Senicula alia Rebachigui Caziqiii mater aegrotanti puero, captivo suo lectum cesserat suum multis noctibus, humique jacens misere in illius obsequium diu noctuque excubavit. Hac facilitate, hoc gratificandi studio captivos sibi devinciunt suos, ut, quotidiana quamvis praesto fit fugiendi opportunitas, de fuga ne quidem cogitent unquam, sorte sua contentissimi. Novi complures, qui dato pretio redempti jam, suamque in patriam reducti ad Abipones heros suos sponte revolarunt, quos jam ad venationem, jam ad bellum aliis inferendum sequuntur, nihilque pensi habent Hispano sanguine, quamvis ipsi Hispani sint, manus contaminare suas. Quantus hic mihi lamentandi campus pateret! Quot Hispani genere, a pueris apud Abipones educati, illorum ritibus, moribus, mille nocendi artibus imbuti Paraquariae, patriae suae, carnifices exstiteret! Quoties hi cruentis Barbarorum expeditionibus immani Christianorum cum strage conjunctis interfuerunt, non itineris tantum socii, sed & viarum duces, omnium rapinarum, caedium, incendiorumque participes, verbo, calamitatum publicarum instrumenta perinde, ut Lusitani, Hispani, Itali religionis sanctae desertores piratis Algiriensibus, ac Maroccanis ad intercipiendas popularium suorum naves egregiam navare operam consueverunt. Corruptionem [150] optimi pessimam esse, & ex vino meliori melius existere acetum hi scilicet exemplo confirmant suo.

Iohannis Lodovici Vives *Exercitatio linguae Latinae*

II. Prima salutatio: Puer, pater, mater Isabellula

Pu. Salvus sis mi pater, salve mea matercula, precor vobis felicem hunc diem germanuli, propitium vobis opto Christum sororculae.

Pa. Mi fili, sospitet te Deus, evehat ad ingentes virtutes.

Ma. Servet te Christus, mea lux. Quid agis mea dulcedo? quî vales? quomodo nocte hac quievisti?

Pu. Recte valeo et placide dormivi.

Ma. Christo gratias: proprium hoc velit tibi esse.

Pu. Ad mediam tamen noctem excitatus sum e dolore capitis.

Ma. Me perditam et miserrimam! quid narras? qua parte capitis?

Pu. Ad brechma.

Ma. Quamdiu?

Pu. Vix octava parte horae: postea redormivi nec sensi amplius.

Ma. Respiravi, nam exanimaras me.

Pu. Bene sit tibi Isabellula, para mihi ientaculum. Ruscio, Ruscio huc, canicule festivissime, en ut cauda adulatur, ut se in posteriores pedes erigit. Quomodo habes? quomodo vales? Heus, adfer panis buccem unam aut alteram, quam ei demus: videbis lusus scitissimos. Non esuris? nihilne edisti hodie? Profecto plus est in cane isto intelligentiae, quam in illo mulione crasso.

Pa. Tulliole mi, libet mihi tecum paulisper confabulari.

Pu. Quid, mi pater? nam nihil mihi accidere potest suavius, quam te audire.

Pa. Hic tuus Ruscio est belua an homo?

Pu. Belua, ut credo.

Pa. Quid tu habes cur sis homo, non ille? tu edis, bibis, dormis, ambulas, cursitas, lusitas: haec ille facit omnia.

Pu. Atqui ego sum homo.

Pa. Quomodo id cognoscis? quid tu nunc habes plus quam canis? sed hoc interest, quod ille non potest homo fieri: tu potes, si vis.

Pu. Obsecro mi pater, effice id primo quoque tempore.

Pa. Fiet, si eas quo eunt beluae, redeunt homines.

Pu. Ibo pater multo libentissime. Sed ubi id est?

Pa. In ludo litterario.

Pu. Nulla est in me ad rem tantam mora.

Pa. Nec in me. Isabellula, audin? da huic ientaculum in cistella.

Is. Ecquidnam?

Pa. Frustum panis butyro illitum, vel ficos aridas aut uvas passas pro obsonio, sed insolatas^[1]: nam alterae illae viscosae inficiunt puerorum digitos et vestes. Nisi malit cerasa aliquot, vel pruna aurea et oblonga. Inserere brachiolum cistulae, ne excidat.